

MARTINI BVCERI

Annotationes reliquæ.

In Tomo quarto, fo. 74. scripsit Lutherus. Nam in regnum cælorum uenire, non est recipi tantum in Ecclesiam & audire Euangelion, sed esse uiuum Christi membrum & credere Euangelio Christi.

Ad hæc annotaui. Qui. n. citra fidem in regno cælorum sunt. Nam simile est regnum cælorum reti, colligenti bonos & malos, &c. Nō tam sunt in eo quam uidentur esse, ut qui soluere legem Dei docet, minimus in reg. cælor. uoca. Matth. quinto Innuere his duobus locis adductis uolui, regnum cælorum etiam uocari externam Ecclesiam, in qua multi sunt, q̄ in uera Christi Ecclesia locum nullum habent.

Fol. 75. Quandoquidem non sit baptismus, nisi qui adfert salutem.

Annotaui. Loquitur de Baptismo spiritus & aquæ simul, sicut simul sunt ubi in Christo quis baptisatur, alioqui quam homo ablutionem impertit, ut supra ipse dixit, salutem non confert.

In eodem folio scribit. Adfirmamus ergo infantes, qui baptisantur propriam habere fidem, quam in eis operatur Deus ad precem & adportationem cōpatrum uel cōmatrum.

Annotaui de electis loquitur, sequutus aut sum illud Romano. 8. Quos prædefinierat eosdem & uocauit. Et quos uocauit eos & iustificauit. &c.

Folio 123. scribit Deum sanctos semper saluasse per uerbum externum, & externum signum. Adæ uero atq; patrib. usq; ad Noah, datum pro signo adfirmat, ignem de cælo,